



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Hermanni Conringii De Antiquitatibus Academicis Dissertationes**

**Conring, Hermann**

**Helmeftadii, 1674**

Svpplementvm LXII. Ad pag CXXV & fequentem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12929**

observatum. Illustrabimus id ipsum uno duntaxat testimonio Ludovici de Dieu, viri in hac literatura magni, qui ad illa Actuum Apostolicorum XII, ubi Paulus ait sese educatum *ὡς τὴν πόδα γαμαλιήλ*, ita commentatus est. *Sedebat magister in loco editiore: discipulus dicebatur prostratus sive jacens in solo ad pedes magistri. Tamdiu dicebatur parvus, & tempus illud parvitas. Inde erat juvenis, neque vocabatur nisi nomine patris, Exempli gratia filius Simeonis. At post impositionem manuum, qua ad Rabbinitum promovebatur, appellabatur Rabbi David filius Simeonis. Hic dum esset socius magistri non amplius jacebat in solo, at nec sedebat sedente magistro, sed erat inclinatus sive in latus recumbens. At quum factus esset doctor Legis, vocareturque Magister noster Rabbi, sedebat quum alios juniores aut imperitos doceret, at stabat coram alio Rabbi sene. Hæc ille.*

## SUPPLEMENTVM LXII.

Ad pag. cxxv & sequentem.

**I**N Dissertatione diximus, Judæos olim suos magistros certis ritibus initiasse. Et verò primùm collocaverunt in cathedram: deinde tradiderunt iis clavem & pugillares: tertio imposuerunt manus: denique renunciaverunt eos Rabbitorum titulo. Digna lectu de hoc argumento congeffit Jacobus Altingius *l. de Ebræorum Republica scholastica pag. 106 & seqq.* Præclara etiam sunt quæ de hisce commentatus est vir perquam insignis Joannes Seldenus, in Commentario ad Eutychie Patriarchæ Ægyptii Alexandrinæ Ecclesiæ Origines n. x. pag. 18 & seqq. usque ad 23. Ut nunc silentio præteream dicta Josepho Scaligero, Cunæo, Buxtorfio, Grotio, Salmasio & aliis.

Quod porrò monuimus, à Judæis tradi; quasi olim Syndrii testimonium fuerit necessarium, illud ab Hillele esse institutum, docet Seldenus. Placet tamen etiamnum, id quod diximus nos in Dissertatione. Quæ



Quæ de verâ acceptione vocis νόμιμα & diximus confirmat illud quod Stobæus ferm. XLII ex Stoicis nescio quibus refert: νόμιμοι εἶναι ἄνδρα καὶ ἀκολαθητικὸν τὰ νόμῳ καὶ περὶ κτηνῶν τῶν ὑπὲρ αὐτῶν προσηγοριῶν: Νομικὸν δὲ τὸν ἐξηγητικὸν τὰ νόμῳ. Merentur conferri quæ Grotius annotavit ad Matthæi cap. II v. 4. Quæ item nos annotavimus de insolente auctoritate quas suis Rabbiniis Judæi tribuere sunt soliti, illustrat præ aliis eximium in modum Joannis Frischmuti longe doctissimus libellus de eo: *utrum Ebræi statuunt, idem simul posse esse & non esse.*

## SUPPLEMENTVM LXIII.

Ad pag. cxxix.

PRæclara quædam de Synagogarum Decemvirali collegio notavit J. Saubertus, non tam generi nomine quàm eximia doctrina mihi multò acceptissimus, in opusculo subjuncto Dissertationi Panegyricæ de Studii lingua Ebrææ in Theologia utilitate & necessitate: interque ea; sextum illius collegii dictum esse *Ministrum synagoga publicum*, item *Nuncium Ecclesiæ* sive ἀγγελὸν τῆς Ἐκκλησίας, ut & *Inspectorem congregationis* aut ἐπίσκοπον. De hoc scripsisse Maimonidem: *Non constituunt Ministrum synagoga, nisi qui sit excellens in cœtu sapientiâ & factis: & si sit senex tanto honoratior erit apud reliquos. Et operam sedulò navant, ut Minister synagoga acceptabilem habeat vocem, ipseque exercitatus sit in legendo. Si tamen barba ejus non sit plena, licet sit valde sapiens, Minister ille synagoga constitui non potest, propter reverentiam cœtus.* Secundum hanc doctrinam Episcopi Ecclesiæ non respondeant Archisynagogis, sed illis qui in Synagogico Collegio sexti fuerunt ordinis: reapse tamen Episcopi olim audierunt quoque προεστῶτες sive antistites.